

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 136. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415584785952/facsimile.pdf> (tilgået 19. april 2024)

Anvendt udgave: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

quoniam diuertit ad magistrum equitum D. Magnum Gøje tocius Lutheranismi propugnatorem in hoc regno, quo uocatus erat, illius interuentu, eiusque filię [[Sophię]] ab episcopo adamatę, restituī 5 meruit. Episcopus enim Roschildensis heresi quam religioni addictior, vtriusque, patris scilicet et filię [[meretricis]], importunitate uictus, nonminus stulte quam temere contra decretum tocius magistratus consensit, eundem Ioannem Taussøn esse in Haffniam remittendum. Estque mox remissus, cum uix 10 quindecim dies abfuisset, posterioribus prioribus deterioribus factis. Hanc uero grauissimam iniuriam 11^c mirandum est a magistratu regni fuisse toleratam. Quicquid igitur Lutheranismi erat in hoc regno, vsurariorum, adulterorum, meretricum, sacrilego-, 15 rum et crapule seruentium, patrocinio uigebat, in odium cleri, pudicitię, sobrietatis, abstinentię, atque omnium sacrorum Christiane religionis. Quecunque enim multis seculis obseruata sunt, aut pro virtutum custodia, aut pro diuini cultus maiestate, ab hoc 20 pseudepiscopo impudentissime sunt contempta. Porro quam erat fictus et fucatus, huiusmodi argumento palam fecit. Friderico namque rege adhuc uiuente, solitus erat grauiter comminari Lutheranis a morte Friderici superstitibus, quibus postea non solum pe- 25 percit, uerum etiam magno fauore, magnificis donis, ac multis honoribus prosecutus est, maximo simpli- cium conscientiarum offendiculo, qui nihil aliud me- tuebant futurum ex huiusmodi prohemiis, quam in- 30 gentem religionis et pietatis ruinam. |

Eodem anno, cum Lubicenses insolescerent ni- 11^c mio rerum successu, iam facti hostes non tantum

Cesaris, sed tocius Christiani orbis ob Lutheranismi perfidiam, cui promptissimis *ac pertinacissimis* animis addicti erant, cuperunt pyraticam exercere in Hollandos ac uniuersos Cesaris subditos, aut pro prias temeritate acti, aut quorundam Lutheranorum principum, defectionem a Cesare parantium, clanculariis consiliis instigati. Cesariani uero, non feren tes publicos predones liberum mare infestantes, emissa classe instructissimarum nauium, iusserunt inquiriri Lubicensium naues, atque de illis dignum sumi supplicium. Quod cum in nonnullis prospere successisset, ceteri timentes mox fugierunt, uehementer gauisi, quod Cesarianorum manus effugissent, uenientesque in proprium portum ibidem tota hieme quieuerunt. Quod cognoscentes Cesariani decreuerunt in Dania hibernare, quo essent in proximam estatem paratiiores uel ad resistendum, uel ad inuadendum Lubicensum copias. Ut enim erat dubius rei euentus, ita incertum vtrinque propositum. Res tota occultis quibusdam rationibus est acta, interim Danis fluctuantibus non sine graui metu, quibus im minebat bellum uel a Lubicensibus, uel a Cesarianis, nisi utriusque partes prudenter dissimulassent.

117 Eodem anno Episcopus Roschildensis repertas in arce Hiortholm litteras super iure, quod ecclesia Roschildensis habet ad arcem Haffnensem, ueterem suam possessionem, postulauit a dominis capituli Roschildensis sibi suisque heredibus dari, non quod esset spes recuperande arcis ob longam prescriptio nem, sed ad sopiendas in futurum omnes lites, credebat easdem ab se redimendas, aut perpetua aliqua possessione, aut certa pecunię summa, quod cum